

ait: καὶ ἀναπληροῦν αὐτήν<sup>85</sup>, et replens ipsam. Et incipit sane ab expiratione:<sup>86</sup> Rursus respirationis inspiciamus passionem, quibus utens causis talis facta est, qualis nunc est. In hunc modum ergo. Quoniam vacuum nullum est, in quod latorum possit ingredi quippiam, spiritus fertur a nobis extra. Nam et haec et quae sequuntur clare indicant necesse esse prius expirationem, postea inspirationem fieri, nam etiam rursus:<sup>87</sup> Quare ex pectore et pulmone extra exiens spiritus, rursus ab aere, qui circa corpus est, intra per raras carnes intrante et compulso fit plenum. Et iterum:<sup>88</sup> Rursus expulsus aer et per os extra exiens, intra respirationem compellit. Prior ergo ex Platonis sententia expiratio inspiratione. Falsa ergo et ridicula Aristotelis obiectio fuit.

Illud autem quod addit:<sup>89</sup> Praeterea cuius gratia haec insunt animalibus (dico autem inspirare et respirare) nihil dixerunt, qui hoc modo dicunt. Falsum ut superiora omnia est. Haec enim Platonis verba sunt:<sup>90</sup> Omne autem hoc opus et passio nostro corpori facta est, humectato et refrigerato, ut nutritur et vivat. Quae sane verba causam dicunt inspirationis atque expirationis clare.

Quod vero Aristoteles amplius obiicit:<sup>91</sup> Praeterea absurdum caloris exitum per os et rursus ingressum non latere nos. Ridiculum

<sup>85</sup> καὶ ἀναπληροῦν αὐτήν, [PLATO, Ti.79.b.6 – 7]

<sup>86</sup> πάλιν {δὲ} τὸ τῆς ἀναπνοῆς ἴδωμεν πάθος, αἷς χρώμενον αἰτίαις τοιοῦτον γέγονεν οἰόνπερ τὰ νῦν ἐστιν. ὅδ' οὖν ἐπειδὴ κενὸν οὐδέν εἰστιν εἰς ὃ τῶν φρεούμενων δύναιτ' ἄν εἰσελθεῖν τι, τὸ δὲ [τότε] πνεῦμα φέρεται παρ' ἡμῶν ἔξω. [PLATO, Ti. 79.a.5 – b.2]

<sup>87</sup> διὸ δὴ {τὸ} τῶν στηθῶν καὶ τὸ τοῦ πνεύμονος ἔξω μεθιέν τὸ πνεῦμα πάλιν ὑπὸ τοῦ περὶ τὸ σῶμα ἀέρος, εἴσω διὰ μανῶν τῶν σαρκῶν δυομένου καὶ περιελαυνομένου, γίνεται πλῆρες. [PLATO, Ti. 79.c.2 – 4]

<sup>88</sup> αὐθις δὲ ἀποτρεπόμενος ὁ ἀὴρ καὶ διὰ τοῦ σώματος ἔξω ίῶν [corr. ex ιὸν] εἴσω τὴν ἀναπνοὴν περιωθεῖ. [PLATO, Ti. 79.c.5 – 6]

<sup>89</sup> ἔτι δὲ {τὸ} τίνος [τινὸς] ἔνεκα ταῦτα ὑπάρχει τοῖς ζῷοις (λέγω δὲ τὸ <τε> ἀναπνεῖν καὶ τὸ ἐκπνεῖν) οὐδὲν εἰρήκασιν, οἱ τοῦτον τὸν τρόπον λέγοντες. [ARIST. Resp. 472b.24 – 26]

<sup>90</sup> πᾶν δὲ δὴ τὸ τ' ἔργον καὶ τὸ πάθος τοῦτο ἡμῶν τῷ σώματι γέγονεν ἀρδομένῳ καὶ ἀναψυχομένῳ τρέφεσθαι καὶ ζῆν. [PLATO, Ti. 78.e.3 – 5]

<sup>91</sup> ἔτι δ' ἄποτοπον τὸ τὴν μὲν τοῦ θερμοῦ διὰ τοῦ στόματος ἔξοδον καὶ πάλιν εἰσόδον μὴ λανθάνειν ἡμᾶς. [ARIST. Resp. 472b.29 – 31]